Num ad veritatem Tacitus in Ann. I. et II. narrarit de expeditionibus Germanici.

Prof. von Rektor Dr. A. F. M. Anton. Rossleben. 1850.

Sunt in recentioribus rerum Germanicarum scriptoribus, qui Taciti fidem in rebus Germanicis non ita insignem apparere arbitrentur: nec iniuria, modo ne inani patriae amore abrepti rem patriam nimis exornare studeant neve misceant, quae Tacitus in Annalibus de rebus Germanicis tradidit et quae aut in Historiis de bello Batavo aut in libello suo separatim conscripsit de universa Germania. Obscura interdum etiam haec veritatique parum consentanea: at multo magis et a perspicuitate et a veritate aliena illa plerumque videbuntur. De universa re qui diligentius quaerere voluerint, non satis habebunt quaesisse, quibus in partibus operum Tacitus uberiores et puriores habuerit fontes, sed etiam, quo et imperii Romani et vitae suae tempore, quo adiutus rerum singularum usu, qua impeditus aliarum rerum perturbatione ille ad singulas operum partes scribendas accesserit. Nihil ex his rebus non dissimile est exceptis imperii temporibus. Nonnihil refert, ut exemplis utar, utrum de rebus bellicis, an de rebus civilibus tradiderit scriptor, qui in omnibus fere civitatis muneribus versatus belli munera vix attigisse videtur: refert, utrum de rebus a suis temporibus remotis, ut in Annalibus, an de rebus suae aetatis narrarit, ut in Historiis, cum ille ex monumentis prioris aetatis ad res exteras spectantibus pauca tantum incorruptae veritatis testimonia eruere potuisse videatur; refert, quod „Germaniam" scripsit aetate sua corroborata, Historias aetate provectiore, Annales aetate ingravescente: refert denique, quod in „Germania *) scribenda indignum quidem illud, sed summum otium collocare poterat, quo viri magni ingenii sub saevo Domitiani imperio vel invitissimi utebantur, nec minus, quod in Annalibus et in Historiis scribendis multis multarum rerum curis distractus non eandem rebus Germanicis, quas interponeret, navare

*) Liceat mihi brevitatis caussa Germaniae verbo sic uti pro libello de Germania conscripto.

poterat operam, atque in „Germania“ sua, ubi una in re totus erat. Nihil igitur non dissimile praeter tempora, quibus opera illa edidit: nam cum Traiano regnante et „Germaniam“ (cf. Germ. c. 37) et Historias (cf. Hist. I. 1.) editas ipse testetur Annaliumque primos certe libros sub eodem Imperatore scriptos esse iure concludamus ex Annal. II. 61: in omnia illa opera conveniunt, quae ipse de felicitate temporum praedicat Hist. I. 1.: quamquam felicius haud dubie Tacito apparebat illud tempus, quo, cum ex saevissimo Domitiani imperio emersisset, libellum de Germania edidit. Quae omnia qui rite ponderaverint, maximam invenient a Tacito operam collocatam si non in perscribendis, at certe in perscrutandis rebus, quae in libello de Germania separatim conscripto tractantur — minorem in rebus Batavis receptis in Historias multis cum aliis rebus — minimam in rebus Germanicis insertis in Annales plurimis cum rebus aliis.

Nos omissis in praesens ceteris rebus, primum de bellis quaeramus Germanicis et ex his hoc loco solas Germanici expeditiones eligamus, quas ad ulciscendam Vari cladem susceptas Tacitus in Annalium libr. I. et II. brevius et minus vere descripsit, quam bellum illud Batavum in Historiis descriptum. Nimirum verissimus rerum auctor, quae ipse aut viderat aut ab aequalibus audierat, fusius et verius narrare poterat, quam illa, quae a suis temporibus remota consilio vel incuria auctorum adulterata invenerat.

Primum igitur perlustrantes singulas Germanici expeditiones videamus,

quae a veritate discrepare videantur:

deinde quaeramus,

quomodo scriptor veritatis amantissimus a veritate aberrare potuerit.

In prima expeditione adversus Marsos subito suscepta (Annal. I. 49—51) Marsi, qui „non procul agitarint“ celari potuisse existimantur de tanto incepto, quasi silentio „duodecim milia e legionibus, sex et viginti sociae cohortes, octo equitum alae“ etiam brevissimam ad expeditionem instrui, iuncto ponte Rhenum traiicere, castra locare, „concaedibus“ munita, ad viam sternendam nocte sideribus illustri, tempestatibus, ut colligi licet, non perturbata, sono dilatando satis apta, „obstantia silvarum amoliri“ potuerint sine strepitu, quem exaudire possent barbari, non procul agentes, sensibus, ut barbari plerumque, acutissimis praediti. Nimirum „festam eam noctem ac sollemnibus epulis ludicram“ Caesar per exploratores audierat stratosque revera barbaros invenit „per cubilia propterque mensas“ vino suo somnoque graves sine ulla belli custodiaeque cura. Ergo Marsi validi aegri, viri mulieres, pueri puellae, senes cuncti ebrietate obruti non stridorem serrarum, non fragorem arborum concidentium, non strepitum tanti exercitus audiverunt. Nec canes affuisse aut surdis temulentorum auribus latrasse videntur. Ne multa: enunquam fieri potest, ut tot milites (duodecim milia

e legionibus cum sex et viginti cohortibus sociorum et octo equitum alis) per loca impedita clam appropinquent et subito opprimant non singulas domos, non singulos vicos, silvae proximos, sed ab aliis ad alios miro illo silentio progressi si non omnes, at certe multos vicos nationis ad omne bellum semper promptae parataeque, quam in omnibus vicis stratam inveniunt per cubilia propterque mensas: nam „ventum ad vicos Marsorum et circumdatae stationes, stratis etiamtum per cubilia propterque mensas nullo metu, non antepositis vigiliis“ Annal. I. 50 extr.

Deinde quod Germanicus quinquaginta milium spatium ferro ignique pervastat, nulli aut sexui aut aetati parcit, profana sacra miscet, non mirum neque enim alienum est a Romanorum more: at mirum profecto, quod „sine vulnere milites“*), qui semisomnos, inermes aut palantes ceciderant.“ Ergo eadem illa nocte sideribus illustri via munita est per obstantia silvarum, eadem barbari vino somnoque graves oppressi et caesi non solum in vico proximo, sed per spatium quinquaginta milium, eadem nocte ferro ignique profana sacra vastata, eadem, inquam, nocte, nam „semisomnos“ ceciderant inermes aut palantes. An forte per complures dies Marsos semisomnos inermesque mansisse credideris? Et tamen complures dies in terra nocte illa pervastata morati esse videntur Romani: nam „exciti ex caede Bructeri, Tubantes, Usipetes“ — non Marsi, ut qui deleti essent — congregantur insidiasque struunt Romanis per saltus redituris. Ergo pervastata terra, omnibus sine ulla sexus aetatisque miseratione trucidatis, tamdiu morantur Romani, ut Bructeri, Tubantes, Usipetes congregari et exercitum exercitui opponere possint. Ceterum mirum profecto, quod qui penitus excisi videntur Marsi iam postero anno validissimi apparent.

Nec minus mira est ea ratio, qua ex saltibus illis evasisse dicuntur Romani.

Qui fuerint saltus Tacitus non docet. Tres Germanicus, priusquam ad Marsos pervenisset, silvas scidisse vel peragrasse videtur: primum enim Caesiam silvam scindit, deinde saltus obscuros permeat: tum demum Caecinam praemittit ad amolienda silvarum obstantia Ann. I. 50.: at quae „obstantia silvarum dicuntur, esse poterant in obscuris illis saltibus. Insuper non narrat Tacitus, num eadem illa via, an breviore et solita Germanicus exercitum reduxerit: nihil significat, nisi „per saltus“ agmen ductum Annal. I. 50, 3. Quo verbo etsi Caesia silva vix significari potuisse videtur, tamen interpretes nonnulli hanc significatam malunt, quod Tacitus addiderit „quietum inde iter.“ At stratis trucidatisque hostibus quietum iter erat non solum per aperta, sed

*) Licentius etiam Caesar B. G. IV. 15. „Nostri ad unum omnes incolumes perpaucis vulneratis ex tanti belli timore, cum hostium numerus capitum CCCCXXX milium fuisset, se in castra receperunt cf. c. 14. et 15. in., ubi totam fere nationem exstinctam esse leges, et c. 12., ubi Caesar quinque milia equitum Romanorum ab octingentis equitibus illius nationis fusa et afflicta confitetur.

etiam per silvas. Praeterea Caesia silva insidiis Germanorum parum apta erat, quod et Rheno proxima et scindenda tantum, non peragranda erat redeuntibus.

Deinde Tacitus tam diligenter ordinem exercitus per silvas regredientis describit, ut haud dubie litteras Romam missas a Germanico ipse perlustrarit.

Agmen ducunt pars equitum et auxiliariae cohortes:

Sequitur prima legio: post hanc impedimenta, defensa ad dextrum latus per quintanos, ad sinistrum per unaetvicesimanos, a tergo per vicesimanos:

Claudunt agmen ceteri sociorum.

Hostes, donec agmen per saltus porrigeretur, immoti —: deinde latera et frontem modice assultantes tota vi in novissimos invaserunt. Turbati socii, qui agmen clauserunt,

densis Germanorum catervis —

succurrunt excitati a Germanico vicesimani, qui uno impetu perruptum hostem redigunt in aperta caeduntque.

Quorsum haec tam multa de ordine agminis, quae etiam Ludenius in praeclaras historias suas — nescio cur — transscripsit! Quis post illa non exspectat pleniorem proelii descriptionem! At sine fructu commemorantur primani, quintani, unaetvicesimani quaeque de cohortibus auxiliariis agmen ducebant. De equitum altera parte Tacitus mentionem facit, de altera tacet: tacere poterat de utraque; nam certe non narrat, quas res gesserint equites aut per totam expeditionem aut in silvis illis, ubi insidias ab hostibus structas invenîunt.

Sed redeamus ad proelium, quod tam paucis verbis Tacitus adumbravit. Vicesimani igitur „uno impetu perruptum hostem redigunt in aperta caeduntque“. In aperta — nempe retrorsum — ergo vicesimani soli vel potius pars vicesimae legionis nec optima pars — nam veterani missi erant in Rhaetiam (Ann. I, 44. 3.) — pars igitur vicesimanorum*) et socii iam turbati densas illas Bructerorum, Tubantum, Usipetum catervas repellunt et trucidant. Natura rei ferebat, ut ceterae legiones cohortesque auxiliariae reditum vicesimanorum exspectarent: at illae, dum hi pugnant cum hostibus, progrediuntur et subsistunt demum, ubi ex silvis evaserunt. Ergo vicesimani cum sociis idem illud iter per saltus, quod toti agmini periculosum fuerat, soli sine ullo periculo faciunt — nimirum hostes trucidati erant. At qui fieri poterat, ut hostes trucidarentur proximi saltibus illis, qui multas et satis cognitas ipsis latebras offerebant? An forte densae illae Germanorum catervae a militibus unius legionis eiusque ne integrae quidem

---

*) Quattuor legiones Germanicus primam, quintam, vicesimam, unaetvicesimam et tamen duodecim tantum milia e legionibus adversus Marsos duxerat: nec mirum; nam praeterquam quod multi mutua caede (Ann. I. 49) ceciderant, aberant et veterani et qui ad castra tuenda relicti erant.

et a sociis Romanorum iam antea turbatis circumclusae erant, ita ut proximum et gratissimum silvarum perfugium petere non possent?

Ergo Germanicus aut densas illas hostium catervas sibi finxit aut artem imperatoriam plane neglexit, progressus per saltus parte exercitus in magno discrimine relicta.

Ludenius quidem in historia sua Germanorum aperta illa loca, in quae propulsi sint hostes, intelligit loca, non retrorsum, sed prorsum (ut ita dicam) versa interpretatus verba „donec agmen per saltus porrigeretur, immoti, dein latera et frontem modice assultantes tota vi novissimos incurrere", „so lange das Heer durch den Wald zog, standen die Teutschen unbeweglich. Am Ausgange desselben machten sie auf den Vortrab der Römer einen leichten Angriff — auch auf die Seiten wurden leichte Stöße gerichtet. Als aber der Zug ganz aus dem Walde heraus war, warfen sich die Teutschen mit vollen Massen auf die hintersten Truppen."

Qua in interpretatione primum id offendit, quod Germani immoti stetisse dicuntur, dum Romani iter per silvas emensi essent: nam constat, saepe a Germanis hostes, ut in paludes, sic etiam in silvas tractos tamquam in loca Germanis opportunissima, nec ullum inveniatur exemplum pugnae, qua illi ex silvis in aperta hostes pellexerint. Tacitus quidem Ann. II, 14. oratoria aetatis suae arte abreptus ostendit „non campos modo militi Romano ad proelium bonos, sed, si ratio adsit, silvas et saltus: nec enim immensa barbarorum scuta, enormes hastas inter truncos arborum et enata humo virgulta perinde haberi, quam pila et gladios et haerentia corpori tegmina": at paulo ante Ann. II, 5. concessam illam comprobatamque omnibus Romanis sententiam profert „fundi Germanos acie et iustis locis, iuvari silvis, paludibus".

Deinde in eo haud dubie errat vir cl. quod interpretatur „als aber der Zug ganz aus dem Walde heraus war, da warfen sich die Teutschen mit vollen Massen auf die hintersten Truppen;" nam si totum agmen iam emersisset ex silvis, postremi non in aperta redigere potuissent hostem, in aperto campo Romanos aggressum, nec simul, ut Tacitus addit, „primum agmen silvas evadere" potuisset, ex quibus, ut Ludenius narrat, iam postremum agmen emersisset.

Alia ratione difficultates rerum evitare studet Doederleinius ad h. l., qui verba

„simul primi agminis" mutat in „simul primis agminum"

vel inverso ex more Taciti ordine verborum

„primis simul agminum"

et coniungit cum superioribus, non cum posterioribus verbis: Vicesimanos igitur censet coniunctos cum primis ceterorum agminum cladem intulisse Germanis.

At primum vicesimani soli, non primi quique ceterorum agminum, a Caesare inflammati exarsisse unoque impetu perruptum hostem in aperta redegisse et cecidisse dicuntur: deinde quae sequitur narratio

„Copiae evasere silvas castraque communivere."

ademptis verbis „simul primi agminis“ abrupta profecto parumque perspicua est, cum frustra quaeramus, quae copiae evaserint. Denique non apparet, cur primi quique ceterorum agminum missi sint ad repellendos hostes. Insuper eaedem fere relinquuntur difficultates, quas supra proposuimus, nisi copias, quae evasisse dicuntur e silvis, intelligimus omnes copias, etiam eas, quae ad hostem repellendum caedendumque remissae erant.

Postero anno exercitus in hibernis refectus maiore fiducia initio veris raptim educitur in Chattos. Quibus ne socii subvenirent, Germanicus Caecinae tradidit quattuor legiones, quinque auxiliarium milia et tumultuarias catervas Germanorum sinistram Rheni ripam incolentium: ipse totidem legiones, duplum sociorum numerum duxit in Chattos per regiones, quas quondam Ubii, deinde transductis Ubiis in sinistram Rheni ripam Chatti occuparant, at reliquerant territi, ut Dio Cassius narrat LIV, 36. munimentis, quae Drusus, Germanici pater, in Tauno collocaverat. Quae munimenta Chatti cur post cladem Varianam non funditus everterint nec relictas regiones denuo occuparint, ex perpetuitate illa fortasse intelligitur, qua munimenta Rheni Moenique cum Tauni munimentis cohaerebant. Non singula Taciti verba, at series verborum obstat, quominus diruta ea fuisse coniiciamus: nam Tacitus vestigia tantum illius praesidii commemorat, at de castello „super vestigia illa posito“ sic mentionem facit, ut quasi in itinere raptim positum videatur (cf. Ann. I, 56.).

In expeditione ipsa primum offendit, quod Chatti nihil cavisse dicuntur: nam illi, etiamsi nondum arte illa militari imbuti fuissent, qua postea, ut Tacitus perhibet in Germ. 39, praeter omnes Germanorum nationes excellebant, tamen ingenti Marsorum clade territi animos haud dubie attenderant ad consilia Germanici, de quibus, cum ille ad reficienda munimenta patris in Tauno monte nonnullos certe dies commoratus esset, vix videntur celari potuisse. Deinde quod Tacitus non supervacaneum ducit ostendere, metu motos cessisse Chattos, non ut insidias struerent Romanis, fidem facit, non tantum, quantum Tacitus ostenderit, fuisse expeditionis eventum. Denique mira plane sunt, quaecunque Tacitus de Marsis hoc loco narrat. Nam primum Marsi, qui anno ante paene deleti videbantur, subito reviviscunt et tam validi apparent, ut cum Caecina, qui quattuor legiones, quinque milia sociorum et tumultuarias Germanorum copias ducebat, congredi audeant. Quamquam quid miramur! Non solum Marsi reviviscunt aut certe ex ingenti clade celerrime recreantur, sed etiam Ansibarii, quos Ann. II, 12. et XII, 56. m. exstinctos narrat, Sygambri, quos partim deletos partim in sinistram Rheni ripam transductos tradit, etsi nullas in Taciti Germania sedes accipiunt, reviviscunt tamen in posterum, et prae ceteris Bructeri, qui non ut Marsi vehementissime afflicti prostratique, sed penitus excisi dicuntur s u b i m p e r i o D o m i t i a n i v e l N e r v a e i n c o n s p e c t u R o m a n o r u m (cf. Tac. German. c. 33.), subito iam sub Traiani imperio reviviscunt et tam frequentes apparent, ut rege egeant, et tam formidolosi, ut Vestricio Spurinnae, qui

Bructerum regem vi et armis induxerat in regnum ostentatoque bello ferocissimam gentem terrore perdomuerat, a senatu, auctore Traiano, triumphalis statua decreta sit cf. Plin. Epist. II, 7 *). Ceterum Marsos, quos Strabo VII, c. 1. §. 3. in ed. Siebenk. narrat in interiores Germaniae partes, εἰς τὴν ἐν βάθει χώραν, secessisse, Tacitus neglecto hoc testimonio, quasi exstinctos crediderit, in „Germania“ sua silentio praetermittit.

Deinde si Taciti verba Ann. I, 56. extr.

„Fuerat Cheruscis animus iuvare Chattos: sed exterruit Caecina huc illuc ferens arma: et **Marsos, congredi ausos,** prospero proelio cohibuit.“

recte ita interpretamur, ut et Cherusci et Marsi de clade Chattis illata certiores facti subvenire voluisse dicantur: admiramur celeritatem, qua non solum Cherusci, sed etiam Marsi in remotioribus sedibus suis de discrimine Chattorum edocentur et arma parant per omnes pagos et progressi cum Caecina confligunt. Nam Germanicus cum raptim expeditum exercitum ad Adranam duxisset adeoque improvisus advenisset, ut, quod imbecillum aetate ac sexu statim aut trucidaret aut caperet, et, iuventute Chattorum tormentis sagittisque in silvas facile repulsa, nullis impedimentis prohibitus esset, ponte iuncto Adranam transire, Mattium incendere, aperta populari — non ita diu ad Adranam moratus iter ad Rhenum vertisse videtur. Tamen Marsi iam conflixerant cum Caecina, priusquam Germanicus in reditu agmen vertisset ad Segestem liberandum: nam legati a Segeste non multo post pugnam illam ad Germanicum venerunt. Cf. Ann. I, 56. ext. et 57. in.

At forsitan dixerit quispiam, et Marsos ira incensos ob cladem superiore anno sibi illatam promptos paratosque appropinquante exercitu Romano in pugnam quasi prosiluisse, — et Germanicum in populandis apertis Chattorum campis aliquantum temporis consumpsisse. Non ego infitior, Marsos paratiores et alacriores fuisse ad pugnam: at certe Caecinae ut tanto exercitu a Tauno usque ad sedes et Cheruscorum et Marsorum per hostiles terras impeditis itineribus progrederetur, huc illuc arma ferret proelioque cum Marsis confligeret, multo maiore temporis spatio opus fuisse videtur, quam Germanico sine mora hostem prosternenti et adiacentes Adranae campos populanti. Quod enim universe aperta populatus esse dicitur: non obliviscendum, Chattorum terram silvis maioribus quam ceterarum nationum sedes obsitam fuisse. Certe Tac. Germ. 30. „Chatti, inquit, initium sedis ab Hercynio saltu inchoant, non ita effusis ac palustribus locis, ut ceterae civitates, in quas Germania patescit: durant siquidem colles, paulatimque rarescunt: et Chattos suos saltus Hercynius prosequitur simul atque deponit.“

---

*) Licentius etiam Caesar exstinctas modo nationes paulo post in vitam reducit velut Nervios, cf. B. G. II, 27. 28 — V, 42. VI, 3.

Nec vero solum apud Tacitum, sed etiam apud alios rerum scriptores nuntii per terras plane incultas huc illuc volitant quasi vel columbis vel viis ferreis vel telegraphica arte usi sint populi rudissimi. Non ignoro etiam apud rudes populos per ignes in altis montibus accensos et per amnes praestitutis quibusdam rebus infectos celerrime nuntios in omnes partes dimitti: at ne haec quidem celeritas semper sufficit ad peragendas res, quas raptim peractas narrant scriptores Romani. Sic Caesar (cf. B. G. VI, 10. cum B. G. IV, 1. 2. 3.) paucis diebus post transitum Rheni ab Ubiis fit certior, „Suevos omnes unum in locum copias cogere atque iis nationibus, quae sub eorum sint imperio, denunciare, uti auxilia peditatus equitatusque mittant.“ His cognitis rebus ..... Ubiis mandat, „ut crebros exploratores in Suevos mittant quaeque apud eos gerantur, cognoscant. Illi imperata faciunt et **paucis diebus intermissis** referunt, Suevos omnes, posteaquam certiores nuntii de exercitu Romanorum venerint, cum omnibus suis sociorumque copiis, quas coëgissent, penitus ad extremos fines sese recepisse et ad initium Bacenis silvae adventum Romanorum exspectare constituisse. — Cf. narrationem similis argumenti B. G. IV, 19.

Quos Caesar intelligi velit Suevos, indicat B. G. IV, 1. „Suevorum gens est longe maxima et bellicosissima Germanorum omnium. Hi centum pagos habere dicuntur, ex quibus quotannis singula milia armatorum bellandi caussa ex finibus educunt.“ Ergo paucis diebus iterumque paucis diebus interiectis nuntii non solum per centum pagos Suevorum volitant, sed etiam per sociorum terras, eodemque temporis spatio congregantur omnes et Suevi et socii ad unum locum congregatosque Romanorum adventum exspectare, Caesar edocetur per exploratores Ubiorum: quae quidem celeritas non viis ferreis, non arte telegraphica, sed nisi virgula divina omnino effici non poterat. Atque etiamsi Caesar inani iactatione Suevorum nomine Chattos appellasset, tamen ne Chatti quidem cum sociis suis tanta celeritate congregari potuisse videntur.

In reditu Germanicus auxilio vocatus ab Segeste convertit agmen in Cheruscos. Plerumque qui obsessi sunt satis habent singulos nuntios per dolum misisse ad arcessenda auxilia: Segestes, circumclusus ab hoste, legatos misit nullo prohibitus metu, ne illi interciperentur ab hostibus.

Sed omittamus hoc et videamus, quam mira Tacitus de Cheruscis narret.

Cherusci circumsident arcem Segestis nec manum movent, quamquam et Chattos vehementer afflictos sciunt et a Caecina huc illuc arma ferente summum periculum sibi imminere vident: non audent congredi cum Caecina: at Marsi priore anno afflicti et prostrati audent —: non convocant socios Cherusco foedere iam coniunctos, sed potius et Marsos sua sponte approperantes prosterni et Chattorum oppidum ac terram vastari patiuntur: perstant in obsidione arcis Segestensis: quam non Caecina liberat, sed Germanicus, quamquam Caecina iam diu Cheruscos terruerat. Ergo Cherusci iam Caecinae impares se esse confessi tranquillis animis exspectant, dum etiam Germanicus cum ma-

maioribus copiis adveniat, nec ulla parant auxilia nec fugiunt, nam postea legimus „pugnatum in obsidentes."

Pulsis demum obsessoribus, liberato Segeste, capta Thusnelda a Germanico, in mentem tandem venit Arminio resistere, convocare socios, arma parare. Miseret hominis, qui ex tanta ignavia tandem excitatus subito insolenter se effert inaniterque iactat „quando irritus discesserit ille inter numina dicatus Augustus, ille delectus Tiberius, ne imperitum adolescentulum (Germanicum), ne seditiosum exercitum pavescerent" cf. Ann. I, 59. At imperitus ille adolescentulus, seditiosus ille exercitus ausus erat in Cheruscos invadere nec subito invaserat, in ore potius et in oculis Cheruscorum conflixerat cum Chattis et cum Marsis, a Cheruscis misere desertis. Ubi tandem fuerat Arminius, qui ab imperito illo adolescentulo, a seditioso illo exercitu etiam uxorem in servitutem tractam tueri non potuerat? An credibile est, Arminium non adfuisse in obsidione arcis, ex qua uxorem liberatam voluerit, nec arcessi potuisse per illud temporis spatium, quo et Germanicus adversus Chattos et Caecina adversus Cheruscos steterit? Profecto mira narrat Tacitus ab ingenio cum Cheruscorum tum Arminii alienissima. Nondum enim ista aetas inciderat, qua Cherusci diuturna pace emolliti languescebant cf. Tac. Germ. 36.: sed insignes erant et virtute et gloria, id quod luculenter ostendunt in expeditionibus Germanici, quae proxime sequuntur. Nihil addo de Thusnelda invitissimo patre in matrimonium rapta: quam rem cur Tacitus credibilem duxerit in illa morum sanctimonia, quam apud Germanos in matrimoniis certe eximiam fuisse in Germania sua testatur, facile intelligemus, si quae ipse de fervore animorum, de civilibus discordiis, de iure belli in natione barbara sibi finxerit, meminerimus. Praeterea mirum videri possit, cur Germanicus exercitum reduxerit et reduxerit ex iisdem fere regionibus, in quas eodem fere exercitu paulo post tetenderit: nam primum cum expeditionem initio veris in Chattos susceptam celeriter finisset Segestemque raptim ab obsidione liberasset: ipsum illud aestatis tempus appropinquasse videtur, quo Germanicus plerumque expeditionem suscipiebat: deinde — „rarum illi coelo" — siccitate et amnibus modicis et paludibus minus fallacibus inoffensum erat iter (Annal. I, 56, 2.): denique praecipuae quaedam Cherusci foederis nationes Cherusci et Chatti et Marsi afflicti erant: mirum igitur videri possit, cur Germanicus ingenti exercitu parato recentibusque victoriis elato progredi noluerit ad prosternendas singulas nationes, improvisa incursione iam perturbatas, sed exspectare, donec hostes congregati, amnes aucti, paludes humidiores existerent: at Germanicus cum impedimentis relictis expeditum raptim exercitum adversus Chattos et Cheruscos duxisset, ultra progredi non poterat, priusquam belli apparatus composuisset. Insuper siccitas illa, quam Tacitus commemorat, mox evanuisse videtur: nam paulo post Germanicus legiones per lacus in Amisiam vexit (Ann. I, 60, 2.) et nisi pontibus aggeribusque per paludes factis in silvam Teu-

toburgiensem penetrare non potuit (Ann. I, 61, 2.): atque in reditu Caecina per pontes longos paludum uligine aquarumque de montibus defluentium concursu vehementer afflictus est (Ann. I, 63—68.). Ergo iustis Germanicus caussis commotus esse videtur ad exercitum reducendum. Nec quievit ille, sed collectis navibus, quot opus essent ad quattuor legiones traiiciendas paratoque commeatu terra marique ad Amisiam flumen cunctas duxit copias. In his quadraginta cohortes Romanae per Bructerorum fines iter fecerant Caecina duce: nec tamen Caecina hoc in itinere, sed L. Stertinius „missus a Germanico expedita cum manu Bructeros sua urentes fudit interque praedam reperit undevicesimae legionis aquilam cum Varo amissam“ (Ann. I, 60.) Utrumque mirum sane nec tamen a veritate prorsus alienum videtur. Bructeri ultro recedentes suaque urentes locum pugnae non dederunt: at huc illuc dispersi deprehendi poterant ab expeditis copiis Stertinii, qui hostes ultro fugientes fugasse sibi visus est. Plus dubitationis iniectum a recentibus rerum scriptoribus, velut a Ludenio, de aquila reperta, quoniam vix credibile, Bructeros sua sponte regredientes in postremis reliquisse tam insigne cladis Varianae monumentum. Cf. Luden Gesch. d. teutschen Volkes II. p. 273.

Tacitus de duabus tantum aquilis mentionem facit, altera Bructeris (Ann. I, 50.), altera Marsis (Ann. II, 25.) erepta: de tertia aquila sicut de signis manipulorum tacet, nisi quod universe ob recepta signa cum Varo amissa arcum a Tiberio (a.XV I. p. C.) dicatum narrat (Ann. II, 41.) Tertiam aquilam defuisse concludimus ex Dione Cassio, qui lib. LX, 8. narrat, sub Imperatore Claudio demum tertiam aquilam, quae sola permanserit in manibus Germanorum, recuperatam. Ergo ne illa quidem postea defuisse videtur, quam, ut Florus narrat (IV, 12, 38), signifer intra baltei sui latebras gerens secum in cruentam paludem demerserat. Hanc Florus profunda palude in perpetuum haustam credidisse videtur duasque reliquas sua i. e. Hadriani aetate barbaris nondum ereptas narrat his verbis: „signa et aquilas duas adhuc barbari possident“ cf. Florus IV, 12, 38. Signa ille haud dubie intelligit signa manipulorum, quae non raro argenteis aureisve Martis vel Minervae imaginibus ornata divina quadam veneratione colebantur. Haec recuperata omnia non verisimile est. Quae in nummis legimus in honorem Germanici signatis „signis receptis Germanis devictis“ nec omnia signa recepta nec devictos Germanos demonstrare videbuntur etiam iis, qui pia veneratione vetera monumenta prosequuntur. Dubitationem illam de aquilis receptis augeri censet Ludenius et Flori testimonio et incerta Taciti narratione de aquila Marsis erepta (Ann. II, 25). At primum ipse gravissimam Taciti, levissimam Flori auctoritatem esse concedit: deinde iusto brevior quidem est de altera aquila narratio Taciti, qui ne legionem quidem appellat, cuius fuerit illa aquila, sed non aliena illa brevitas a more Taciti: tum Germanicus rem tam laetam nuntiare Caesari non poterat, nisi missis simul insignibus illis, quae et Tiberius et omnes Romani ardentissime desiderabant: denique non verisimile est, Tacitum nihil explorati habuisse de re tanta.

Praeclare Tacitus deinde describit (Ann. I, 61.), quomodo iusta solverint legiones legionibus Varianis. Qua in re nihil offendit, nisi verba (Ann. I. 62.)

„nullo noscente, alienas relliquias an suorum humo tegeret:" nam nec ita multi de Germanis atro illo die caesi nec qui caesl erant sine exsequiis a Germanis erant relicti.

Quae sequantur a veritate abhorrere vix quisquam infitiabitur. Si manibus aequis abscessum foret, non fuisset omnino, quod Germanicus exercitum reduceret. Nam quem ad finem produxerat tantum exercitum? ut iusta solveret relliquiis legionum Varianarum? At suprema illis solvere tum demum Germanico in mentem venerat, cum fugientes Bructeros persecutus quasi ex inopinato accesserat ad fines saltus Teutoburgiensis, nec aliud quidquam memoratu dignum aut gesserat aut gerere voluerat, ut qui legiones ne semel quidem antea instruxisset adversus hostem. Ingentem igitur exercitum tripartito itinere ad Amisiam et inde in saltum Teutoburgiensem duxerat ac ne semel quidem manus conseruerat cum hostibus: nam quod Stertinius Bructeros ultro fugientes vel potius ad coniungendas vires cum copiis Arminii regressos persecutus eorumque terram populatus erat: id quidem nisi mira fortuna aquilam XXI legionis recuperasset, vix mentione dignum appareret. Integro igitur exercitu, integro fere commeatu progressus tandem assequitur Arminium, in quem summa ulciscendi cupiditate fertur — accendit iram legionum exsequiis faciendis — nec tamen tota vi aggreditur hostem invisum, sed equites tantum cohortesque post hos subsidiarias in pugnam mittit fusisque his aegreque sustentatis reditum parat, denique separatis, quae prudenter ad Amisiam congregaverat, copiis Caecinam non ea via, quam ille munierat, sed per pontes longos, quos partim subrutos non ignorabat, redire iussum summo discrimini permittit. Qui enim opinari poterat, Caecinam solum parem fore hosti, quem ipse coniunctis omnibus copiis vinci posse diffidebat? Immo vero ita afflicti videntur Romani, ut reditum quam maxime accelerare debuerint, nec consilio imperatoris, sed vi hostium seiunctus Caecina atque in iter periculosissimum protrusus, quo Germanorum iram et virtutem vix effugere posse videbatur. Effugit sane insigni et arte et virtute sua non minus, quam hostium aviditate et intemperantia: at effugit ita, ut afflictum se prostratumque confiteretur convictus ipse ingenti damno militum atque impedimentorum facto.

Relliquiae quomodo evaserint, Tacitus litteras sine dubio secutus Caecinae narrat: quibus quomodo fidem habere potuerit, non intelligimus.

Primo enim die (Ann. I, 64.) Romani vehementer vexati eximuntur nocte adversae pugnae, non laboribus aut terroribus: immo per integram noctem occupati sunt in reficiendis operibus, quae a Germanis per aquas in circumiectis iugis ortas et ad castra Romana versas subruebantur et per integram noctem terrentur truci clamore hostium, qui festis epulis excitati „laeto cantu aut truci sonore subiecta vallium ac resultantes

saltus complebant," dum Romani vix ignes alere, vix vocem edere ausi aut adiacent vallo aut per tentoria oberrant, „insomnes magis, quam pervigiles" (Ann. I, 65.). Postero die progredi ausi, at nullo imperio coërciti tantam cladem accipiunt, ut vix Caecinam ducem aquilasque servent sublevati aviditate Germanorum, qui omnia impedimenta rapiunt. Quanta autem Romani affecti sint clade, inde colligi potest, quod „coepta luce" ex castris egredi ausi, „vesperascente demum die" in aperta et solida enisi castra posuerunt. Nam quamquam Arminius et egressos e castris non statim vexavit — retentis suis, dum impedimenta Romanorum coeno fossisque haererent et hostes non minus locorum iniquitate, quam terrore commoti ordines desererent — nec usque ad vesperum turbatos et afflictos hostes persequi potuit desertus a suis praedam sectantibus: tamen et ante et post cladem Germani non ita magnam diei partem a pugna abstinuisse videbuntur iis, qui reputaverint, impedimenta nec diu per solida duci potuisse in regione maximam partem humida et tenaci nec tanta fuisse, ut ingentem Germanorum multitudinem multum morari potuerint.

Quam misera autem, cum ad vesperum emersissent ex paludibus, Romanorum fuerit conditio, docet Tacit. Ann. I, 65. „*struendum vallum petendusque agger: amissa magna ex parte, per quae egeritur humus aut exciditur caespes: non tentoria manipulis, non fomenta sauciis, infectos coeno aut cruore cibos dividentes funestas tenebras et tot hominum milibus unum iam reliquum diem lamentabantur.*"

In miserrima hac conditione Romani castrorum munimenta sine dubio non ita valida efficere potuerunt, ut etiam Arminio horrorem iniecerint, qui dissuasisse dicitur, ne in castra invaderetur. Vicit contraria sententia Inguiomeri, qui, etsi Germani per diem integrum, ut Tacitus credidisse videtur, impedimenta Romanorum diripuerant, tamen magnam in castris praedam fore eamque minus corruptam in castris, quam in paludibus deprehendi posse sperat. Germani castra expugnaturi proruunt fossas, iniiciunt crates, summa valli prensant: at postquam haesere munimentis, a Romanis subito circumfusis trucidantur defixi quasi suo quisque loco: nam Romani, quorum castra prima luce („orta die") oppugnata erant, trucidant hostes, „donec ira et dies permansit."

Qua in rerum descriptione non pauca offendunt lectorem.

Ac primum solida illa planities, in qua castra posita erant, non tam late patuisse videtur, ut una cum legionibus Romanis etiam ingentes Germanorum catervas caperet: nam Arminius suaserat suis „sinerent egredi (e castris hostes) egressosque rursum per humida et impedita circumvenirent." Ergo ut modo ex paludibus emerserant in aperta et solida, sic per paludes porro tendere coacti erant undique aut silvis aut paludibus circumclusi. Non apparet igitur, quomodo Romani, cum ingentes Germanorum catervas circumclusissent, in solidis locis consistere potuerint. De-

inde castra ingenti ambitu fuisse necesse est, cum tot milia Germanorum illo in ambitu haererent. Cuncti enim finguntur haesisse vel certe inclusi fuisse illis munimentis: nam si altera tantum pars Germanorum haesisset in munimentis, altera extra munimenta illa mansisset: medii Romani circumclusi fuissent ab hostibus, quorum tergis ipsi circumfusi erant. Munimenta autem illa quanta fuisse censes, cum superari nequirent a Germanis tam agilibus, promptis, expeditis, exercitatis in omni genere exercitationum! Et quis tandem ingentia illa munimenta exstruxerat? Milites laboribus, fame, insomniis, metu, vulneribus vehementer afflicti nec adiuti ferramentis, quae egerendae humo et excidendo caespiti inservire possent — illa enim amissa erant — sed solis fere manibus suis usi alta illa munimenta lato circuitu paucis horis exstruxerant, non quo facilius defendere possent castra, sed ut veluti feras in foveis, sic barbaros in munimentis caperent captosque trucidarent *). Haerent igitur in illis munimentis mirum in modum exstructis Germani quasi defixi: obstupescunt, quod tanta armatorum multitudine circumcluduntur — nam illi, qui per biduum de montibus circumiectis Romanorum exercitum et observarant et aggressi erant, miro profecto errore „paucos ac semermos“ ut Tacitus narrat, Romanos in castris esse opinati erant — non perrumpunt, quamquam Arminius et Inguiomerus, ille integer, hic gravi vulnere affectus pugnam deseruerant: sed quasi circumclusi trucidantur per diem integrum (donec dies et ira permansit) ab hostibus per biduum vehementissime afflictis. Num forte paludes silvaeque, tutissima illa receptacula Germanorum, procul aberant? Immo proximae erant certe funestae istae paludes, quas quoniam summo discrimine cummaxime superarant, nullo pacto repetissent Romani. An forte Germani numero impares erant parti illi exercitus, cui integro pares certe se praestiterant in silva Teutoburgiensi? Immo cum Arminius et Inguiomerus Germanici reditum omnino non perturbarent, omnes copias suas adversus Çaecinam, Germanici imprudentia per pontes longos missum, duxisse videntur.

Denique nocte demum Tacitus reversas legiones narrat, haud dubie reversas in castra: sed unde reversas? Profecto non ex paludibus silvisque circumiacentibus, in quas aut redire aut progredi ne in mentem quidem venire poterat Romanis. Ergo tota pugna, quae a prima luce usque ad noctem extendebatur, in solidis illis commissa est campis, quorum in finibus Romani castra posuerant. Quantam fuisse censes planitiem, solidam mediis in paludibus! Nec tamen ullam apud Tacitum invenies tantae

*) Admonet nos mira haec Taciti narratio de simili narratione Caesaris B. G. V, 42, qui etsi Nervios ad internecionem trucidaverat, ita ut quingenti tantum superessent, qui arma ferre possent — tamen a Nerviis eorumque clientibus duobus annis post munitionem decem milium (si vera est scriptura) in circuitu minus horis tribus perfectam narrat et perfectam sine ferramentis solo gladiorum, manuum, sagulorum usu — munitionem autem intelligit vallum pedum XI et fossam pedum XV.

planitiei mentionem, sed angusti tramitis arte quondam strati inter paludes, siccis, ut libenter concedimus, locis mixtas.

Multa igitur etiam hac in expeditione nobis occurrunt, quae a veritate plane aliena videantur. Nihilominus certum est, evasisse Caecinam, verisimile est, evasisse eum servatum et arte imperatoria sua et aviditate Germanorum praedam sectantium, credibile etiam, Germanos per omnes illos dies victores postremo ob superbiam et temeritatem damno aliquo affectos esse: at plena ostentationis esse, quae Caecina de victoria sua Romam nuntiarit, vix quisquam negabit, nisi qui caeca fide quaecunque tradidit Tacitus admiratur.

Postremo Tacitus „ad supplenda exercitus damna certavere Galliae, Hispaniae, Italiae, quod cuique promptum arma, equos, aurum offerentes.“ Quorum laudato studio Germanicus armis modo et equis ad bellum sumptis propria pecunia militem iuvit.“

Ingenti sane opus erat pecunia ad damna tot milium militum sarcienda. At omissa hac re de Galliarum studiis subveniendi Germanico iure dubitabimus confisi verbis, quibus eodem tempore ipse Germanicus usus esse dicitur cf. Ann. II, 5, 2.

„*fessas Gallias ministrandis equis.*“

Praeterea Germanicus ut maritimam expeditionem rite instituere posset, P. Vitellium et C. Antium paulo post ad census Galliarum misit.

Omissa deinde quaestione de Visurgis verbo Ann. I, 70. extr. transeamus ad ultimam expeditionem Germanici.

Nihil ad illud tempus Germanicus, qui bello Pannonico magnas gesserat res, adversus Germanos profecerat. Nam quod Marsos insidiis circumventos inermes, semisomnos, temulentos Chattorumque infantes, mulieres, senes crudelissime trucidaverat Segestemque cum clientibus obsidione liberarat: quis haec, etiamsi ad veritatem narrata concedamus, in rebus praeclare gestis numerabit! Praeterea quis haecce Germanorum damna Romanorum ostentatione haud dubie in maius celebrata comparabit cum illis damnis, quibus Romani cum insolito maris aestu tum arte et virtute Germanorum et in silva Teutoburgiensi et in paludibus per pontes longos patentibus affecti erant!

Quae damna sarciendi cupidissimus simulque Tiberii et sagacitatem et insidias veritus Germanicus toto animo intentus erat ad expeditionem novam nova ratione instituendam. Iam superiore in expeditione exercitus partem non ita parvam navibus vexerat in Germaniam et revexerat, si vere narrat Tacitus, incolumem, dum, qui terrestri itinere reducebantur milites Caecina et Vitellio ducibus partim hostium insidiis et virtute, partim insolito maris aestu vehementer affliguntur. Ad illas igitur naves addidit novas

primum, ut maturius
deinde, ut insciis hostibus

denique, ut integrum integro cum commeatu exercitum mediam in Germaniam duceret. Cf. Ann. II, 5.

Primum igitur, bellum maturius incipi posse iudicabat.

Sane multum, cum „brevis esset Germaniae aestas," intererat, ut bellum maturius inciperetur: at Germanicus non ita mature expeditionem parare potuisse videtur: certe ille priusquam naves collegisset, Silium legatum cum expedita manu in Chattos mittit: ipse ad castellum Luppiae fluminì appositum obsidione liberandum sex legiones ducit rebusque illis celeriter peractis cuncta inter Alisonem castellum ac Rhenum novis limitibus aggeribusque permunit. Sed cum et Silius subitis imbribus prohiberetur iussa exsequi nec Germanicus obsessores ad famam adventus sui dilapsos deprehenderet: illae expeditiones non ita magnam moram intulisse videntur: plus morae illatum iudicaremus permunienda via illa, quae a fontibus Luppiae usque ad Rhenum patebat, nisi constaret, milites Romanos eiusmodi in operibus exercitatissimos mira plerumque celeritate rem tantae molis perfecisse. Nimirum multa milia hominum et robore et arte praeditorum sub imperio gravissimò in magno illo opere occupati erant. Nihilominus multum retardata esse videtur expeditio: nam quamquam, quae sequuntur res, sine mora peraguntur, tamen subito incidit „adulta aestas" et de reditu admonet. Expeditio enim (cf. Ann. II, 8—23.) sic peragitur." Praemisso commeatu et distributis in legiones ac socios navibus Germanicus fossam Drusianam, lacus, Oceanum „secunda navigatione" pervehitur usque ad Amisiam flumen. Inde parva mora facta — nam ad Angrivariorum defectionem ulciscendam Stertinius cum equite et armatura levi remittitur — ad Visurgim pervenit et, cum postero die (Ann. II, 11.) Germanorum aciem trans Visurgim instructam invenisset, sine mora instituit pontes, traiicit exercitum, committit pugnam. Ex qua cum superior discessisset, non ita magno temporis spatio interiecto alteram pugnam init victoriaque, ut iactat, reportata reditum parat: persequi hostes non potest,

„quod aestas iam adulta fuerit."

Quae si vera erat caussa, profecto non mature suscepta erat expeditio.

Nec minus irrita erat altera caussa, qua Germanicus se commotum dicit ad praeferendam expeditionem maritimam: frustra enim sperarat,

„si mare intrasset, promptam sibi fore possessionem et hostibus ignotam." Ann. II, 5, 3.

Profecto qui falli poterat Arminius provocatus et ingenti navium apparatu et expeditione a Germanico ad repellendos Alisonis obsessores suscepta? Et revera Arminius cum suis sociisque, ubi Germanicus ad Visurgim pervenit, iam aderat promptus paratusque ad pugnam e vestigio committendam.

Denique quam Germanicus conceperat spem, fore ut copias integras integro cum commeatu per ora et alveos fluminum mediam in Germaniam perduceret, fallacem certe

cognosset, si de natura Oceani satis edoctus fuisset, fallacemque re vera cognovit in reditu, etsi adulta aestas, qua rediit, magis opportuna erat navigationi, quam veris tempus, quo expeditionem suscepisse creditur. Praeterea non legimus, Germanici aut copias aut commeatus vexatos perturbatosve fuisse in incursionibus, quas ille in Marsos, in Chattos, in Bructeros, in Cheruscos usque ad illud tempus fecerat, vexatos vero attritosque in reditu et ex Marsorum terra et ex silva Teutoburgiensi.

Universe igitur tres illae caussae, quae Germanicum commoverant, ut maritimam expeditionem susciperet, in hac certe expeditione maximam partem irritae erant.

Iam vero transeamus ad expeditionem ipsam.

Dum adiguntur naves, Germanicus Silium legatum cum expedita manu irruptionem in Chattos facere iubet: qui, cum iuventutem iam ad Visurgim misissent, quo Germani foedere coniuncti Arminio duce iam convenisse videntur, ne uxorem quidem aut filiam principis sui defendere poterant eandemque fortasse senum, mulierum, infantium caedem, qua Germanicus anno ante in eos saevierat, experti essent, si Silii expeditio eadem terrae siccitate, qua Germanici expeditio, adiuta fuisset. At quos Germanicus tum metuerat imbres auctusque fluminum, illi Silium re vera prohibuerunt. Iam Germanicus, dum Silius in Chattos irrumpit, ipse ad castellum Luppiae flumini appositum obsidione liberandum properat. Alisonem castellum intelligi idemque prope fontes Luppiae exstructum fuisse, verisimile est, cum quod id ipsum Ann. II, 7. (cf. tamen Waltheri interpretationem) nominatim appellatur, tum quod Germanicus ad silvam Teutoburgiensem accessisse videtur. Nam tumulum, quem ipse nuper Varianis legionibus exstruxerat, a Germanis disiectum aut vidit aut audivit deque restituendo illo deliberavit (Ann. II, 7.). At primum, ut iam pridem notarunt viri docti, non apparet, quis Alisonem castellum a Germanis non multo post cladem Varianam relictum (Vell. Pat. II, 120.) et sine dubio dirutum, denuo exstruxerit. A Tiberio statim ab illa clade in Germaniam misso exstructum nemo narrat, ne Velleius quidem, qui hanc occasionem de Tiberii virtute praedicandi non omisisset: nec si ab illo exstructum esset, Germani quiescente bello intactum reliquissent. Ergo cum post Tiberium nemo in Germaniam invasisset, nihil restat, nisi ut a Germanico ipso restitutum credamus. At ille quomodo restituere potuerit non apparet: nam tum, cum Segestem obsidione liberabat, raptim expeditionem fecerat, et proximo anno, quo in silva Teutoburgiensi cladem accepit, vix opportunum tempus nactus esse videtur, quo opus perficeret, quod per integram hiemem obsidionem Germanorum sustineret.

Qui a L. Stertinio conditum castellum coniiciunt, velut Ledeburius, verba Taciti Ann. I, 60. extr.

„*ductum inde agmen ad ultimos Bructerorum quantumque Amisiam et Luppiam amnes inter, vastatum haud procul Teutoburgiensi saltu, in quo relliquiae Vari legionumque insepultae dicebantur*,“ ad Stertinium referunt eumque vastata regione inter

inter Amisiam et Luppiam patente non cum Germanico in silvam Teutoburgiensem progressum esse, sed remansisse arbitrantur ad Alisonem castellum restituendum indeque postea (Ann. I, 71.) missum esse ad accipiendum in deditionem Segimerum, fratrem Segestis, haud dubie illic viciniae versantem. Nihil ego, quod probabilius sit, proferre possum: at ex verbis Taciti erui posse illam sententiam diffido. Nam quae verba ad L. Stertinium solum referuntur, ad omnem exercitum referenda esse videntur. Iidem enim, qui, quantum inter Amisiam et Luppiam, populati, finibus saltus Teutoburgiensis appropinquarant, in illum saltum progrediuntur (Tac. Ann. I, 60. extr. et 61. in.). Relictam esse partem exercitus, nisi ex verbis

„omni, qui aderat, exercitu“

concludi non potest. Nec ex cap. 71. eiusdem libri apparet, Stertinium iam antea relictum fuisse ad castellum restituendum.

Denique qui non Alisonem, sed aliud quoddam castellum significatum censent, non tollunt difficultatem, sed transfernnt ab Alisone in illud castellum, quod sibi fingunt: omnia enim castella praeter illa quae ad Rhenum sita erant, eversa haud dubie erant a Germanis — nulla nisi Tauni, restituta perhibentur.

Primum igitur iure dubitatio iniecta de Alisone castello: deinde mirum videtur viris doctis, quod Germanicus, qui sex legiones ad silvam Teutoburgiensem, ergo non procul a Visurgi atque, si recte de campo illo coniecerint interpretes, non procul ab Idistaviso campo habuerit, easdem reduxerit ad Batavorum insulam, ut denuo navibus impositas ad Amisiam indeque ad Visurgim adduceret. At Germanicus, si re vera Aliso castellum denuo exstructum erat, id potissimum egisse videtur, ut munimenta Alisonis firmaret simulque viam, quae a Rheno ad Alisonem ducebat, muniret, tutiorem, si male expeditio cessisset, receptum habiturus. Praeterea illa ipsa vicinia silvae Teutoburgiensis Arminium haud incenderit ad incepta temeraria, sed potius monuerit, ne quid ageret nisi collecto omni et exercitu et commeatu, praesertim cum facile divinare posset, nullam in posterum sibi permissum iri a Caesare expeditionem.

Sequitur narratio de navigatione, in qua nihil offendit, nisi quod non docet Tacitus, cur Germanicum vituperandum censeat, quod ille non navibus transposuerit milites, sed in pontibus efficiendis complures dies consumpserit. Neque enim Germanicus in re tam aperta tantum errorem committere poterat, praesertim cum anno ante in iisdem illis regionibus versatus esset, nec, si revera errasset, difficile fuisset, damnum sarcire, cum naves in promptu essent. Quibus ille caussis commotus sit, ut ad laevum amnem non procul ab ostio Amisiae naves appelleret, ex forma illarum regionum decursu temporis prorsus immutata coniicere non possumus: at non est, quod dubitemus, quin imperator ille rerum peritissimus et portum elegerit, in quo tot naves tutas ab impetu et hostium et tempestatum conservare posset, et pericula evitare voluerit, quae subeunda fuisse videntur, si in dextram ripam tantum et exercitum et commeatum exponere

voluisset. Obscurae narrationi lucem affert aliquam interpretatio, quam Barthius („Urgeschichte“) proposuit nisus auctoritate Wiardae „Geschichte Ostfrieslands“.

Transgressi per pontes milites mox aestuaria inveniunt, quibus Batavi nonnulli, qui insultant aquis, hauriuntur. Emensi vel praetergressi aestuaria castra ponunt. Metanti castra Caesari Angrivariorum „defectio a tergo“ nunciatur, quasi ille iam attigerit fines Angrivariorum. Plerique interpretes, in quibus etiam eos, qui geographiam et historiam veteris Germaniae tractarunt, numero, inter verba „hausti sunt“ et „metanti castra“ aliquid deesse iudicarunt. Qua de re uberius disserit Waltherus ad h. l. Mihi leges interpretationis postulare videntur, ut verba ad prima castra referamus in itinere posita. Cum autem absurdum sit, Angrivariorum sedes quaerere in aestuariis illis vel circa: nihil restat, nisi ut eas in dextra Amisiae ripa collocemus, quam illi cum Bructeris, sicuti dextram Visurgis ripam cum Cheruscis tenuisse videntur. Quae quidem sententia comprobaretur loco Tac. Germ. 33., ubi Angrivarii perhibentur sedes Bructerorum occupasse, si vere narrasset Tacitus, Bructeros penitus excisos esse. Tacitus nec quae fuerint sedes Angrivariorum, nec quando in amicitiam Romanorum recepti sint, tradit. Mox ubi alteram describit pugnam ad Visurgim commissam, Angrivarios, quos iam in dextra Visurgis ripa collocat, denuo defectionem parasse narrat. Ergo ex Taciti narratione ab Amisia usque ad Visurgim sedes extendisse videtur populus, qui copiarum nec magnitudine nec virtute insignis apparet. Quapropter interpretes nonnulli coniiciunt, Germanicum posteaquam recta ab Amisia ad Visurgim exercitum duxerit, secundum sinistram ripam Visurgis adverso flumine per fines Angrivariorum profectum esse. Sed omittamus haec, quae haud scio an nunquam satis certo explorari possint, et videamus, quantopere ipse sibi repugnet Tacitus in moribus Angrivariorum depingendis. Nam idem populus, qui et tum, cum Caesar ingenti exercitu in Germaniam invadebat, et postea, cum Caesar duplicem ab omnibus populis, qui Cherusco foedere coniuncti erant, reportaverat victoriam, desciscere a Romanis ausus erat — postero tempore, quo Caesar ipse ingenti maris tempestate vehementer se afflictum fatetur, non modo non audet desciscere a Romanis, sed etiam miro Romanorum amore incensus milites Romanos naufragio disturbatos et ad miseram apud barbaros servitutis conditionem delapsos ab illis nationibus redimit et ad Rhenum remittit. Qua in re ut saepe, incuriae certe iure arguemus Tacitum, qui res tam obscuras Romanis perinde ac nobis tamque alienas a veritatis specie aut temere tradiderit aut non satis illustrarit.

Iam quod sequitur colloquium inter Arminium et Flavium ad delectandos lectores si non fictum at certe exornatum videtur: veteres enim rerum scriptores non solum rerum memoria sed etiam oratoria arte *) et prodesse et delectare volunt eodemque fere

*) Cf. Cic. de leg. I, 2. — de or. II, 9. 13. 15.

iure, quo orationes fingunt principum virorum, etiam colloquia fingendi potestatem sibi sumpserunt. Non equidem consentio cum Schuberto, qui, quod et Drusus, pater Germanici in Amisia flumine pugnam navalem commiserit cum Bructeris*) et Veleda praetoriam Romanorum triremem dono acceperit Luppia flumine advectam ad turrim suam, veteris Germaniae flumina multo et latiore et altiore alveo fluxisse concludit, silvis et frequentissimis et densissimis ingentem, ut in America, aquarum molem gignentibus: nam Tacitus non solum Rhenum vel inferiorem bello Batavo — incognita certe illi coelo siccitate — navium vix patientem fuisse et per vada transiri potuisse tradit**), sed etiam hoc ipso, quem tractamus, loco (Ann. II, 11.) Visurgim tam vadosum fuisse narrat, ut non solum Batavi equites — qui arma equosque retinentes integris turmis etiam Rhenum perrumpere consuerant (Tac. Hist. IV, 12. extr.) — sed ceteri quoque equites per vada transierint. Tamen cum rara esset in Germania vetere, ut Tacitus ipse perhibet (Ann. I, 56, 2. Hist. II, 26. in), coeli siccitas, cum tumidae plerumque essent in Germania terrae, immensus nubium tractus, profundi amnes (Ann. II, 23. 2.) eodemque ipso anno subitis imbribus Silius prohibitus esset Chattos vexare (Ann. II, 7.): non est, quod Visurgim tam angusto alveo fluxisse existimemus, ut Arminius et sagittarios Romanos per alteram ripam dispositos timuerit et cum Flavio fratre trans flumen colloquium tam verbosum habere potuerit, praesertim cum non procul ab iis multa milia et equorum iumentorumque et militum versarentur, quorum ingenti atque inevitabili strepitu voces quasi obtundi necesse erat. Nihil quidem certi exploratique habemus de loco, quo flumen Romani transierint: sed nemo, quod sciam, ex interpretibus Visurgim aut superiorem aut saxis montuosis compressum iisque de caussis angustiore fluentem alveo significatum esse iudicavit.

Postero die Caesar, „nisi pontibus praesidiisque impositis dare legiones in discrimen haud imperatorium ratus“, equites, ut diducerent hostes, qui iam ad dextram Visurgis ripam accesserant transitumque Romanorum turbare velle videbantur, per vada flumen transire iussit. Qui etiamsi feliciter pugnantes hostem de ripa deturbassent, miraremur, intra breve illius pugnae spatium sine navium ope — quae quidem omnes ad Amisiam relictae erant — pontes factos praesidiis impositis. Cum autem equites illi aut caesi aut repulsi essent***): omnino non apparet, quibus artibus usus Ger-

---

*) Strabo VII, c. 1. §. 3. in. p. 321. (ed. Siebenkees et Tzschucke.)

**) Tac. Hist. IV, 26. in. Rhenus incognita illi coelo siccitate vix navium patiens: arti commeatus: dispositae per omnem ripam stationes, quae Germanos vado arcerent.
Hist. IV, 27. in. Forte navem haud procul castris (Geldubae positis) frumento gravem, cum per vada haesisset, Germani in suam ripam trahebant.)

***) Tac. Ann. II, 11. ex Batavis equitibus alios cum Cariovalda duce caesos alios vix vi sua aut per equites Romanos subvenientes periculo exemptos narrat.

manicus tantum opus perfecerit. Tacitus de re exponere supersedet: brevissime narrat, Caesarem transgressum esse. Haud dubie erat scriptoris, qui non supervacaneum ducit narrare, quomodo non contigerit Germanico, ut pontes efficeret, etiam ostendere, quomodo revera contigerit.

Tum propinquo summae rei discrimine Caesar explorandos militum animos ratus, quam ineat rationem reputat reiectisque aliis rationibus ipse nocte coepta egressus augurali assistens tabernaculis ad militum sermones aures animumque admovet. Iusto tardius, credo: nam etiamsi cunctos terrore impletos deprehendisset, nihil tamen reliquum fuisse videtur, nisi ut pugnam oblatam, immo obtrusam acciperet. At delectabant haud dubie eiusmodi fabulae, in quibus rerum Romanarum scriptores — rebus necessariis saepe neglectis — iusto libentius versantur, animos Romanorum, qui a rerum scriptoribus eiusmodi delicias seu fictas seu ex rumoribus haustas postulabant. Sic etiam somnia narrantur imperatorum, velut Germanici (Ann. II, 14. in.) et Caecinae (Ann. I, 65. in.) — praeclare sane ad revelandos intimos animorum recessus — modo ne ex altera parte deessent, quae Romanis pariter ac nobis scitu necessaria fuisse videntur ad res traditas intelligendas. In illis ego rebus, ut iam alii interpretes, etiam pulcherrimum numero augurium, quod initio pugnae octo aquilae petere et intrare visae silvas, quas hostes occupaverant, ediderunt, cum aquilae nec sedes modicis intervallis seiunctas figere nec coniunctim, ut passeres, volare soleant: in illis illas, quas Tacitus apportatas narrat a Cheruscis catenas ad Romanos vinciendos: nam primum Germani exacerbati, si vere Tacitus narrat, crudelissima caede senum, mulierum, infantium, qua Germanicus in Marsos et in Chattos saevierat, captivis non magis pepercissent, quam in clade Variana: nec minore exarserit ira Arminius, quam Germanicus, qui paulo post (Ann. II, 21.) orabat milites, „insisterent caedibus: nihil opus captivis, solam internecionem gentis finem bello fore“: deinde si consilio mutato multos captivos secum ducere in animos induxissent, ingenti catenarum mole opus fuisset: denique non verisimile est, hostem, qui, ut Tacitus paulo ante narrat (Ann. II, 14.) ne scuta quidem habebat ferro firmata et in secunda tertiaque acie ne hastis quidem ferro instructis, sed praeustis telis utebatur, ferro abusum esse ad catenas procudendas, quibus ne opus quidem erat ad captivos coërcendos.

In pugnae prioris descriptione multa sunt, quae a veritate abhorrere videantur, velut, quod Stertinius cum magna equitum parte in terga Cheruscorum invadere iubetur. Cherusci, qui (Ann. II, 16.) iuga insederant, proruperant quidem per ferociam nec tamen in planitiem processerant: nam paulo post (Ann. II, 17, 3.) a Stertinio de collibus detruduntur. Stertinius igitur in terga Cheruscorum invadere non poterat, nisi iugis illis, quae Cherusci insederant, ascensis. At qui poterat ille cum equitibus iuga illa

haud dubie silvis obsita*) ascendere pronosque demittere equos in hostes circa media imaque iuga versantes. Sed omitto illa, quod frustra viri et rerum gestarum et locorum periti locum ad Visurgim investigare studuerunt, in quem, quaecunque Tacitus tradidit de illa pugna, prorsus convenire videantur. Victoriam Tacitus litteris, quas invenit, Germanici deceptus, haud dubie in maius celebrat. Hostes quinta ab hora diei ad noctem caesi decem milia passuum cadaveribus atque armis opplesse dicuntur (Ann. II, 18.). Praeterea plerosque, qui tranare Visurgim conati erant, iniecta tela aut vis fluminis, postremo moles ruentium et incidentes ripae operuere (Ann. II, 17. extr.). Ergo vix superstites fuisse credideris, qui cladem nuntiarent. Quae opinio confirmatur desidia Germanici, qui hostes persequi operae pretium non ducit. At subito incensi dolore et ira, quod Caesar aggerem struxisset et in modum tropaeorum arma subscriptis victarum gentium nominibus imposuisset, plebes, primores, iuventus, senes agmen Romanorum non solum aggrediuntur, sed etiam turbant acieque instructa novam pugnam Romanis offerunt. Iam facile devictas esse credideris relliquias illas, quae cum „abire sedibus pararent", nulla auxilia advocarant: at ex contrario Romanos si non victos, certe vehementer afflictos cognoveris, si, quae Tacitus narrat, sine ira et studio consideraris. Tacitus Germanici aliorumque litteras secutus pedites magna cum contentione tandem victoriam ab hostibus fortissimis reportasse narrat, equites ambigue certasse confitetur. At, ut nostris temporibus saepe vidimus, quotiens aequo Marte discessum esse nuntiatum erit ab altera parte, non insignem quidem at modicam certe cladem acceptam iure coniiciemus. Nam etiam nostris temporibus, quotiens re vera ambiguum fuit certamen, utraque pars non solum victoriam iactare, sed etiam publica sacra instituere ausa est ad grates Deo agendas ob victoriam benigne concessam. Waltherus quidem V. D. ad h. l. ambiguo animo, ambigua fide, non ambiguo eventu certasse censet equites, qui plerumque ex sociis Gallis Germanisque sumpti fuerint. At primum „ambigue certare" haud scio an nunquam non relatum sit ad eventum certaminis**): deinde nullam in omnibus expeditionibus Germanici perfidiae suspicionem moverunt auxilia nec Gallica nec Germanica, exceptis et Angrivariis, qui nullo loco commemorantur tanquam socii arma Romanis ministrantes, et Chaucis, qui ex rumore quodam Arminium et Inguiomerum ex acie fugientes agnosse et emisisse dicuntur: denique ex rebus postea gestis apparet, non ita certam fuisse Romanorum victoriam: immo non solum equites pulsos sed etiam pedites afflictos fuisse, iure concludimus ex mira illa celeritate, qua Germanicus reditum parat. Idem, qui paulo ante milites monuerat (Ann.

---

*) Nam visi demum Cherusci, posteaquam per ferociam proruperunt. Ann. II, 17. in.

**) Cf. Tac. Hist. IV, 66. in.: pugnabaturque in angustiis ambigue, donec Germani transnatantes terga Labeonis invasere. Hist. V, 11. in. missus in eos (Iudaeos) eques cum expeditis cohortibus ambigue certavit. Cf. Boetticheri Lex. Tac. p. 57.

II, 14. extr.) „propiorem iam Albim, quam Rhenum neque bellum ultra, modo se patris patruique vestigia prementem iisdem in terris victorem sisterent“ — qui igitur paulo ante consilium pronunciarat ad Albim progrediendi — duplici, ut iactat, victoria reportata, hostibus, ut iactat, deletis non progreditur ad Albim, ne commoratur quidem in hostium terra, ut eadem illa crudelitate, qua apud Marsos et apud Chattos, senes mulieres infantes trucidet, aedificia incendat, agros devastet, pecora exercitui haud dubie necessaria aliamque praedam rapiat ad avaritiam militum satiandam, sed legiones in hiberna reducere parat caussa addita:

„Quod aestus iam adulta fuerit.“

Veteres, ut ex Servio ad Virg. Georg. I, 43. perspicimus, singula anni tempora in ternos dividebant menses et primum quemque mensem novum
secundum — — adultum
tertium — — praeceps anni
tempus appellabant, velut novum, adultum, praeceps ver — novam, adultam, praecipitem aestatem etc. Quam quidem appellationem Tacitus ad diei tempora transferens etiam de „nocte adulta“ loquitur. Cf. Boetticheri Lex. Tac. sub v. „adultus“. Waltherus V. D. ad h. l. apte comparat θέρους ἀκμήν et θέρους ἀκμάζοντος. Adulta igitur aestas pertinet per denos dies Quinctilis mensis et per vicenos fere Sextilis m., quo exeunte iam praeceps aestas ordiebatur. Aestatem non excipiebat auctumnus, cuius nomen pariter ac bona ignorabant Germani, ut Tacitus opinatur, (cf. German. 26. extr.) sed hiems eaque praematura. Quodsi nihil reliquum fuisse arbitramur, nisi aestatem praecipitem praematura hieme exceptam: erat profecto, quod reditum pararet Germanicus. At primum non deerant auctumni nec nomen nec bona (cf. Kiessling. ad German. 26. extr.): deinde non multo asperius erat coelum, non multo maturior hiems, quam hodie: alioquin Germania non ingentem illam incolarum multitudinem alere potuisset. Romani quidem mitiori coelo assuefacti asperitatem coeli Germanici horrebant pariter atque asperitatem incolarum: attamen cum ille horror animorum evanuisset paulo ante cladem Varianam, „mutati homines, alia terra, coelum ipsum (Germaniae) mitius molliusque“ videbatur (cf. Florus lib. IV, 12, 27.). Etiamsi igitur „adultam aestatem“ sic interpretemur, ut eam in praecipitem aestatem deflexisse dicamus: tamen supererat et praeceps illa aestas et auctumnus novus, adultus, praeceps, cuius tempestates non magis reformidandae erant, quam tempestates veris, quibus spretis Germanicus, ut maturius bellum inciperetur, expeditionem maritimam parare voluerat. Praeterea mirum, quod tam cito adolevit aestas — adolevisse existimanda est spatio interiecto inter priorem et posteriorem pugnam ad Visurgim commissam. Nam priorem pugnam initurus Germanicus in concione militum consilium aperuerat victoria parta ad Albim progrediendi, Ann. II, 14. extr. Quicunque autem animis coniecturarum amore non obcaecatis Taciti verba legerint, paucos tantum dies intercesisse inter utramque pugnam iudicabunt.

Germani conspiciunt tropaeum, edocentur de superbo tropaei titulo, exardescunt ira, arma rapiunt, Romanum agmen aggrediuntur, turbant, Romanos trahunt in locum aptum insidiis, quibus hostes circumclusos deleri posse sperant. Ubi tandem erant Germani? Qui „abire sedibus parabant", nondum reliquerant sedes: qui tropaeum conspiciunt, non procul absunt: qui tropaeum, cuius adspectu inflammantur, non evertunt, sed ut evertant hostem aggrediuntur, hostem prope tropaeum haud dubie inveniunt. Sic igitur et Germani in suis sedibus permansisse et Romani prope tropaeum illud commorati esse nec magno aut loci aut temporis intervallo interiecto ab altera ad alteram pugnam transisse videntur. Qui multo maius et temporis et loci spatium inter utramque pugnam intercessisse arbitrantur, in verbis Taciti vix unum „agminis" verbum invenient, quo nitantur, frustraque quaerent et cur non everterint Germani invisum illud tropaeum a Romanis desertum et cur Tacitus non narrarit, illo spatio temporis vastatos agros, incensa aedificia, sacra profana mixta: quod quidem Tacitus nunquam praetermittit, ut ostendat, non frustra exercitum exisse ad ulciscendam Vari cladem. Cf. Ann. I, 51. in. I, 56. in. I, 60, 2. 3. II, 8, 3. II, 25, 2. Ergo aestatem aut iam ante priorem pugnam adultam vidit Germanicus inanique iactatione consilium illud usque ad Albim progrediendi pronunciavit, aut, quod parum feliciter pugnaverat pugna posteriore, adultam fuisse aestatem finxit, ut et dedecus et detrimentum acceptum celaret. Quaeramus igitur, cum intervalla temporum, quae in expeditione paranda, in itinere et maritimo et terrestri faciendo, in priore Angrivariorum defectione ulciscenda consumpta sint, nullo modulo metiri possimus, quantum temporis praeterierit, priusquam Germanicus milites, quos statim in hiberna reducere voluerat, revera reduxerit. Qua quidem in computatione frustra apud Tacitum certa quaedam, definitaque temporum intervalla quaerimus: sed universe tamen spatia rebus mox et toleratis et gestis metiri poterimus. Ac primum pontes, per quos exercitus et Visurgim et Amisiam transierat praesidiis impositis, integros mansisse legionesque brevi temporis spatio navibus impositas esse concedamus, quamquam tot hominum equorumque milia et ad iter faciendum et ad naves ascendendas non ita parvo tempore abuti solent. Iam tempestas vehementissima subito exorta rapuit disiecitque naves: quae irrumpentibus undis oneratae ut levarentur, equi, iumenta, sarcinae, etiam arma in mare praecipitabantur. „Quanto violentior cetero mari Oceanus et truculentia coeli praestat Germania, tantum illa clades novitate et magnitudine excessit, hostilibus circum littoribus aut ita vasto et profundo mari, ut credatur novissimum ac sine terris." Cf. Ann. II, 2.

Ingentem igitur cladem acceptam cognoscimus ex illis verbis Taciti. At quae sequuntur, non ita magnam fuisse illam cladem ostendere videntur: nam Tacitus partem tantum navium haustam, plures apud insulas longius sitas eiectas et aestu relabente ventoque secundante naves alias raro remigio aut intentis ve-

stibus usas, alias a validioribus tractas revertisse narrat. Quae raptim refectae cum missae essent a Germanico, ut scrutarentur insulas, plerosque milites collegerunt: multos Angrivarii redemptos ab interioribus populis reduxerunt, nonnullos in Britanniam raptos remiserunt reguli. Cf. Ann. II, 21. Quae si vera sunt, non apparet, quo iure Tacitus cladem illam novitate et magnitudine omnem modum excessisse narret.

Sola Germanici triremis ad Chaucorum terram appulsa erat. Ibi Germanicus „per omnes illos dies noctesque apud scopulos et prominentes oras, cum se tanti exitii reum clamitaret, vix cohiberi poterat, quin eodem mari mortem oppeteret.“ Ann. II, 2. m. Multos igitur dies Germanicus in Chaucorum terra opperiebatur naves disiectas. Tandem relabente aestu illae ad eundem locum appulsae videntur: nam Germanicus, qui per omnes illos dies noctesque abiecto animo in mare prospexerat, saevientibus tempestatibus haud dubie navem solvere non potuerat: relabente autem aestu redeuntes naves accepisse refectasque dimisisse dicitur ad alias naves reducendas. Ann. II, 24. m. Non narrat Tacitus, quis nuntium singulis navibus attulerit, Germanici triremem ad Chaucorum terram appulsam, eundemque in locum eas adduxerit. Sed omissa hac re temporum intervalla quodammodo computemus. Germanicus igitur multos dies frustra in mare prospexerat: deinde, cum naves quaedam revertissent, raptim reficiendas eas curabat, haud dubie Chaucorum ope: nec tamen, cum omnis materies apportanda esset, mali, funes, vela, remigia, ancorae, parvum tempus in reficiendis navibus consumptum putabimus: tum refectas naves misit, ut scrutarentur insulas et propius et longius sitas: quibus profecto magno temporis spatio opus erat ad milites et colligendos et reducendos. Quantum igitur his in rebus temporis consumptum censebimus! Praeterea qui verba Taciti premerent, coniicerent, exspectasse Germanicum, donec qui in Britanniam vel ad interiores Germaniae populos disiecti fuissent, aut a Britanniae regulis remissi aut per Angrivarios redempti redissent. Quorum etiamsi rationem non habeamus, tamen aestas illa, quae Germanico reditum paranti iam adulta videbatur, consenuisse nobis videbitur, priusquam Germanicus collectis et navibus et militibus plerisque ad Rhenum redierit. Vix igitur ei, qui attento animo, quae Tacitus tradit, legerit, in mentem veniet coniicere, Germanico et terrestri itinere et ingenti naufragio tantopere retardato tempus reliquum fuisse ad novas expeditiones suscipiendas. At Germanicus, quasi nullam cladem acceperit, statim ab reditu C. Silium cum triginta peditum, tribus equitum milibus ire in Chattos iubet: ipse maioribus copiis in Marsos irrumpit nec solum unam de aquilis Varianis recuperat, sed etiam introrsus progressus agros Marsorum devastat. Quid Silius tanto exercitu profecerit, Tacitus non narrat. Peractis demum illis expeditionibus, Germanicus in hiberna reducit milites laetos quod

„adversa maris expeditione prospera pensavissent“

eosdem

eosdem igitur milites, quos afflictos naufragio et disiectos vel in remotas insulas ipse collegerat et reduxerat. Quae intervalla temporum si computaverimus, facile apparebit eodem temporis spatio votorum compotem Germanicum usque ad Albim progredi potuisse, praesertim cum duplici victoria parta nulla, ut ipse dicit, superessent bella propiorque Albis esset quam Rhenus.

Denique, reducti in hiberna milites, quantum quis damni non fecerit sed professus sit, munificentia Caesaris refectum laetantur. Quam nos munificentiam admiramur, at, si vere narravit Tacitus de ingenti naufragio, animis concipere non possumus.

Postremo quod Germanicus non dubitavit, quin si proxima aestate novam sibi liceret expeditionem suscipere „bellum patrare“ posset: mirabuntur etiam illi, qui in verba Taciti iurant omnesque victorias, de quibus Tacitus praedicat, vere reportatas credunt. Nam cum Germanicus non minus maritimam, quam terrestrem expeditionem plenam intellexisset aleae: vix tam obcaecatum ira fuisse eum crediderimus, ut de novis expeditionibus tam bene sperarit.

Multo verius crebris epistolis Tiberius:

„*satis iam eventuum, satis casuum: se novies in Germaniam missum plura consilio quam vi perfecisse: posse hostes internis discordiis relinqui.*“

Nec homo alias simulationum amantissimus simulate, ut Tacitus opinatur, ea scripsit: nam ille diuturno usu cognoverat, quae postea omnibus modis confirmata viderunt Romani, adversus Germanos plura consilio quam vi perfici posse. Quam sententiam si a veritate alienam iudicasset Tacitus, ipse sibi quodammodo repugnaret: nam in libello, quem de Germania separatim scripsit, nihil adversus Germanos vi perfici potuisse ipse fatetur, additis verbis „quippe regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. Germ. 37.

Iam vero quaestio oboritur,

quomodo Tacitus a veritate tam longe discedere potuerit?

Est res concessa comprobataque consensu omnium fere virorum, qui acri studio in litteris Romanis versati sunt, Tacitum inter omnes scriptores Romanos veritatis fuisse studiosissimum. Quin Tacitus ad veritatem narrare voluerit, vix quisquam dubitare paucaque illa sequi ausit vestigia, quae consulto Tacitum a veritate discessisse ostendant. At num ille ad veritatem narrare potuerit, id quidem salva illa reverentia, quae Tacito debetur, quaerere licebit. Videamus igitur quae fuerint impedimenta veritatis aut allata extrinsecus aut intus nata.

Ac primum Tacitus de fontibus, ex quibus hauserit, pauca tantum tradit. Puros integrosque fuisse sub saevissimo Caesarum imperio Tacitus ipse quodammodo negat. Non facile quisquam ex ducibus ipsis res a se gestas ad veritatem narrabat. Quae

Tacitus de Corbulone Ann. XI. 19. 20. et de Agricola narrat Agr. 39—42, convenire videntur in omnes fere duces, qui auspiciis Tiberii, Caligulae, Claudii, Neronis, Domitiani bella gesserunt. Miserior etiam, quam illorum ducum, Germanici erat conditio. Missus ad tuendum imperium ab impetu Germanorum et ad ulciscendam Vari cladem ipse se tueri debebat ab intemperantia populi, a contumacia legionum, ab insidiis Tiberii. Populus Romanus et ira incensus ob cladem Vari et metu territus, ne gens Germanorum ferocissima imperium Romanum convelleret, postulabat, ut terrae hostium devastarentur et ferae illae nationes sine ulla aut sexus aut aetatis miseratione, si fieri posset, trucidarentur ad internecionem. Quare tam saepe Tacitus ex commentariis Germanici fusius narrat, quam vehementer nationes istae afflictae prostrataeque sint. Tiberius vir et callidissimus et diuturno rerum Germanicarum usu edoctus cum facile suspicaretur, quae esset vera rerum conditio, litteris Germanici fidem non habebat, sed multis de caussis simulabat. Quin etiam si Germanicus ingenue confessus esset, quam levia intulisset, quam gravia accepisset detrimenta: Tiberius quamvis ardenter imminutas Germanici laudes cuperet, tamen rem celare vel involucris tegere maluisset. Cum enim nihil vehementius ab Imperatore Romani postularent, quam ut ille imperium a feroci Germanorum impetu tueretur: haud scio an de cladibus Germanici certiores facti precibus minisque Tiberium coëgissent, ut ipse legiones duceret adversus hostes formidolosissimos. Nam trepida civitas iam antea legionum Germanicarum motu audito incusarat Tiberium,

quod *infirmae adolescentis auctoritati tantum exercitum commisisset: „ire ipsum et opponere maiestatem imperatoriam debuisse cessuris, ubi principem longa experientia eundemque severitatis et munificentiae summum vidissent. An Augustum fessa aetate totiens in Germaniam commeare potuisse: Tiberium vigentem annis sedere in senatu verba patrum cavillantem?“* Cf. Tac. Ann. I, 46.

At Tiberius priusquam stabilisset regnum nec urbem relinquere nec ad legiones accedere volebat, quae paulo ante seditione mota Germanico Tiberii loco summam rerum tradere voluerant. Uberius Tacitus in Ann. I, 47. narrat, quibus caussis commotus Tiberius Romae remanserit quibusque artibus usus et urbem et provincias hac in re fefellerit.

Quaecunque igitur Tacitus invenit a Germanico legatisve eius Romam nuntiata actisque publicis divulgata haud scio an a veritate non raro fuerint alienissima.

Deinde quae Agrippina, Germanici filia, mater Neronis, in commentariis suis forsitan scripserit, vix digna memoratu videbuntur. Tacitus in Ann. IV, 53. commentarios illos his verbis commemorat:

„id ego a scriptoribus Annalium non traditum reperi in commentariis Agrippinae filiae, quae Neronis principis mater vitam suam et casus suorum posteris memoravit.“

Illa quae casus suorum, ergo etiam patris posteris tradidisse dicitur, res a patre gestas si attigit in maius haud dubie celebravit.

Ex ceteris rerum auctoribus C. Plinium Secundum appello, quem Tacitus tanquam bellorum Germanicorum scriptorem producit testem in Ann. I, 69. Is res a Germanico gestas diligentissime quidem collegisse, at veritatis ad normam parum diligenter exegisse videbitur etiam iis, qui quae exstant eius opera vel leviter perlustrarint. Uberius ab eo res illas narratas esse ex illo ipso loco (Ann. I, 69.) concludimus, ubi tradidisse dicitur, „Agrippinam apud principium pontis stetisse, laudes et grates reversis legionibus habentem.“

Maior sane Plinii in hac bellorum descriptione apparebit auctoritas, quam in ceteris rebus: nam cum ipse non solum in Germania praefectus alae, sed etiam in Hispania legatus Caesaris fuisset, et rerum et locorum gnarus fuisse videtur: at ille cum septimo demum anno post reditum Germanici ex Germania natus esset, cum paucis tantum, qui expeditionibus Germanici interfuerant, versari poterat eademque et credulitate et celeritate, qua res alias, etiam ea, quae de expeditionibus illis aut legerat aut audierat narrata a militibus Germanici, perscripsisse iure videbitur. Insuper ille, quaecunque Romani cum Germanis gesserant bella, scribere coepit, cum in Germania militaret, somnio monitus.“ Astitit enim, ut Plin. in ep. II, 5. narrat, quiescenti Drusi Neronis effigies, qui Germaniae latissime victor ibi periit:

„commendabat memoriam suam orabatque, ut se ab iniuria oblivionis assereret.“

Haud dubie Plinius superstitione motus nihil antiquius habebat, quam ut laudes Drusi eiusque filii quam maxime celebraret: nam quamquam historias religiosissime scripsisse dicitur (Plin. ep. V, 8.): tamen res gestas in maius celebrare Romani artibus oratoriis assuefacti ita non verebantur, ut ipsi ornamenta laudum suarum ab amicis expeterent, velut a Tacito Plinius minor ep. VII, 33. extr., qui quidem non postulat ab amico, ut excedat actae rei modum, attamen petit „ut ille notiorem, clariorem **maiorem** rem faciat“: nec minus Cicero, qui non veritus est Lucceium etiam atque etiam rogare, ut in ornandis rebus gestis leges historiae negligeret atque amicitiae plusculum etiam, quam concederet veritas, largiretur. Cf. Cic. ad fam. V, 12. Nec in mentem venire poterat Plinio, sub Claudio vel sub Nerone de laudibus Germanici detrahere, quae re vera detrahenda erant.

Tam impuri igitur apparent fontes, ex quibus potissimum Tacitus hausisse videtur.

Quibus ex fontibus qua lege usus, qua diligentia, quo animo in utramque partem ductus Tacitus hauserit, non tam ex illis ipsis, quas percensuimus, narrationibus, quam ex aliis libris Taciti cognoscimus. Qui negant, Tacitum, virum ingenio doctrina virtute eximium, in gravissimos errores delabi potuisse et delapsum esse sua culpa, reputent, quaeso, quot quantosque Tacitus habuerit rerum Iudaicarum auctores et habuerit domi, in urbe, per multos annos — et quam temere — auctoribus illis mirum in modum neglectis — tradiderit res a veritate alienissimas: cf. quae Meierotto de fontibus disserit, quos Tacitus secutus sit. Is iusto vehementius offensus magna illa Taciti incuria,

„*Si omnes, inquit, res memoratae, omnes exterarum gentium origines ex tam impuris vel, ut vere dicam, nullis adeo fontibus a Tacito sunt petitae, misera sane posteritas, miserandi faciles lectores, qui sic ab his humanitatis doctoribus deludantur.*“

Multo diligentior apparet Taciti cura in rebus Germanicis: nec tamen desunt vestigia incuriae. Nonnunquam enim, ut ipse sibi, sic etiam iis, quorum auctoritate aliis in rebus nititur, Caesari et Plinio repugnat, nulla caussa addita cur repugnet. Concedo nonnulla contraria videri, non esse, velut si Caes. B. G. VI, 21. vita, inquit, Germanorum omnis in venationibus atque in studiis rei militaris consistit. — et B. G. IV, 1. (Suevi) multum sunt in venationibus. — Tacitus autem Germ. 15. „quotiens bella non ineunt, non multum venatibus, plus per otium transigunt (cf. interpr. ad Germ. 15.): at alia revera inter se discrepant, velut quae uterque narrat de rebus sacris Germanorum, Caes. B. G. VI, 21. Tac. Germ. 9...., ubi Tacitus Caesaris sententiam non refellit, sed silentio praetermittit et dissimiles sententias profert partim veriores, partim, velut de diis, a veritate non minus alienas.

Universe Tacitus Caesaris auctoritatem neglexit non solum in rebus Germanicis, sed etiam in rebus Britannicis: num Livii auctoritatem in rebus Germanicis melius tutatus sit, ignoramus: Plinii auctoritatem non minus neglexisse videtur, quam Caesaris. Ex iis, quae Plinius de Germania conscripsit, pauca tantum reliqua sunt: in his memoratu dignissima, quae ille de Chaucis, cum ipse in illis regionibus affuisset, satis vere narrat (Hist. nat. XVI, 1, 2.). Tacitus haec in Germania sua, ubi de altera Chaucorum parte separatim non minus vere tradit (Germ. 35.), mira incuria plane neglexit, cum tam facile in usum suum convertere et posset et deberet. Nec Tacitus, quae temere tradiderat, in libris postea editis occasione oblata ad veritatem narrabat, etsi edoctus erat de errore suo. Sic in Germ. 33. Bructeros penitus excisos vacuasque eorum sedes ab aliis nationibus occupatas narrat — et paulo post ipse affuisse videtur in senatu, qui Vestricio Spurinnae triumphalem decrevit statuam, „quod ille Bructerum regem vi et armis induxisset in regnum ostentatoque bello ferocissimam gentem terrore perdomuisset,“ cf. Plin. ep. II, 7. Tamen Tacitus in Annalibus suis multo post editis, ubi saepe de Bructeris narrat, nullam erroris sui mentionem facit. Quibus ex rebus ut ex aliis plurimis, luculenter apparet, quam dissimilem rationem veteres et recentes rerum scriptores inierint in rebus et perscrutandis et perscribendis.

Deinde Tacitus, ut omnes Romani, pleraque ex Romanorum moribus institutisque metitur nec exuit istam Romanorum superbiam, qua elati illi omnes alias gentes tanto infra populum Romanum ducebant, ut si servire vellent, contemnerent, si nollent, odissent. Tacitus admiratur Germanorum et robur et virtutem, at ita admiratur, ut vehementer horreat, non ut amet virtutem, quam quoniam in usum Romanorum verti posse diffidit, cum gente deletam mavult. Profecto ipse fatetur, nullam gentem magis horrendam esse — non Samnites, non Poenos, non Hispanias Galliasve, ne Parthos quidem tam formidolosos unquam exstitisse

populo Romano, quam Germanos nec impune a C. Mario in Italia, a Divo Iulio in Gallia, a Druso, a Tiberio, a Germanico in suis sedibus perturbatos esse Germanos belloque eos Batavo clades intulisse Romanis tam insignes, ut paene everterint imperium Romanum civilibus discordiis labefactatum et convulsum. Lubenter igitur fidem praebet rumoribus vel nuntiis de cladibus tam feroci genti illatis, quae si non fictae at certe in maius celebratae erant. Iam supra vidimus, quam temere narrarit, Bructeros ad internecionem caesos: hoc loco, ut ostendamus, quis ille amor sit, quo Tacitus Germanos amplexus esse saepe dicitur, verba ipsa afferamus. Germ. 33.: „super LX milia Bructerorum, inquit, non armis telisque Romanis, sed quod magnificentius est, oblectationi oculisque (Romanorum) ceciderunt.“ et addit: „Maneat quaeso duretque gentibus si non amor nostri at certe odium sui, quando urgentibus imperii fatis nihil iam praestare fortuna maius potest, quam hostium discordiam.“ Eadem mente narrat, quomodo Germanicus non solum hostes trucidarit, sed etiam in mulieres infantes senes saevierit, ac tamen Ann. II, 73. magnis eum laudibus effert etiam ob mansuetudinem, quam hostibus praestiterit. Praeterea, ut in Germanos praecipuo quodam metu et odio fertur, sic Germanicum praecipuo quodam amplectitur amore, qui ex omnibus locis elucet, quibus de eo mentionem facit. Quapropter lubentissime accepit et tradidit, formidolosam illam Germanorum gentem victam esse et victam virtute Germanici, nec ea qua decebat cura quaesivit de rerum veritate. Immo haud scio an nefas duxerit, quae Germanicus ipse de se quaeque Plinius ex litteris potissimum Germanici hausta tradiderit, in dubium vocare. Insuper quam ille legem etiam in aliis rebus tradendis secutus sit, ipse ostendit Hist. II, 50. his verbis „ut conquirere fabulosa et fictis oblectare legentium animos procul gravitate coepti operis crediderim: ita vulgatis traditisque demere fidem non ausim.“

Et tamen demit fidem: nam quamquam suum duxit, quaecunque invenisset a maioribus tradita, modo digna essent memoratu, in Annales recipere ratus non ex rerum scriptoris arbitrio pendere, aut recipere aut reiicere quaecunque ipse aut vera aut falsa duxisset: tamen a se impetrare non potest, ut etiam gravissimo hosti parta insigni virtute decora fallaciter subtrahi patiatur.

Quam Tacitus conceperit de cladibus ab Arminio aut acceptis aut illatis sententiam, ipse aperte profitetur in Ann. II, 88., ubi haec legimus:

„Ceterum Arminius abscedentibus Romanis et pulso Maroboduo regnum affectans libertatem popularium adversam habuit petitusque armis, cum varia fortuna certaret, dolo propinquorum cecidit, liberator haud dubie Germaniae et qui non primordia populi Romani, sicut alii reges ducesque, sed florentissimum imperium lacessierit, proeliis ambiguus, bello non victus. Septem et triginta annos vitae, duodecim potentiae explevit caniturque adhuc barbaras apud gentes, Graecorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirantur, Romanis haud perinde celebris, dum vetera extollimus, recentium incuriosi.“

Quibus in verbis Tacitus plane aliam sententiam de Arminio profiteri videtur, quam illis locis, ubi et de clade Variana meminit et de expeditionibus Germanici exponit. His enim locis Arminius ita non laudibus effertur, ut saepe et proditionis et temeritatis accusetur. Primum enim, si Arminius revera simulata per longum tempus amicitia dolos nexuisset Varumque tanta arte fefellisset, ut ille ne Segesti quidem proditori fidem haberet: esset profecto, quod Tacitus vafrarum artium accusaret Arminium, non esset, quod a Graecis aut Romanis rerum scriptoribus postularet, ut laudibus efferrent hominem, qui ducis sui fiduciam summam nullaque proditione labefactatam fefellisset. Nec vero quae postea Tacitus de Arminio tradit, gloriam illam, qua Tacitus eum hoc loco et ipse ornat et a Graecis Romanisque ornandum fuisse iudicat, gignere potuerunt.

Quas enim res, si Tacitus vere narrat, Arminius gessit?

In prima Germanici expeditione, dum Romani summa crudelitate in Marsos saeviunt, Arminius, Cherusci foederis auctor et dux, in rebus privatis occupatus, dum filiam Segestis alii pactam rapit, (Tac. Ann. I, 55.), nihil ad tutandas nationes foedere coniunctas parasse videtur. Qua in re, cum vix exspectari posset exercitus seditiosi irruptio, si excusare voluerimus incuriam, non excusare poterimus, quod etiam proximo anno nulla praesidia paravit ad tutandos Chattos, in quos Romani, posito castello „super vestigia veteris praesidii“ in Tauno monte, tam facile invadere posse videbantur, ut omnino non intelligamus, cur Chattis improvisi advenisse dicantur. Narrat Tacitus Ann. I, 56., voluisse Cheruscos subvenire Chattis, sed exterritos esse exercitu Caecinae huc illuc arma ferentis: at id ipsum crimini vertimus Arminio, quod ille, qui anno ante Marsos socios foederis impune oppressos viderit, non collegerit exercitum, ad saevas eiusmodi irruptiones aut prohibendas aut ulciscendas. Quid quod ne suum quidem populum tueri poterat. Caecina coërcet Cheruscos ita, ut nec ad Chattorum cladem ulciscendam progredi nec manus conserere audeant. Profecto Arminius nihil praevidisse, nihil cavisse, nihil ausus esse videtur. Quanto alacriores et fortiores apparent Marsi, qui, quamquam anno ante afflicti et prostrati erant, celeriter Caecinae se obiiciunt nec proelium committere verentur! Insuper Arminius ne de reditu quidem Germanici aut de itinere in Cheruscos verso quidquam exploraverat, ita ut Romani impune ad Segestis arcem penetrare, obsessores repellere, Segestem clientesque eius liberare atque etiam uxorem Arminii rapere possent. Perfecta demum re, detrimento pariter ac dedecore accepto excitatus per vicos et pagos volitat inanique rerum multo ante perfidiose gestarum iactatione ipse de se praedicat deque Germanici gloria rebus in Pannonia summa virtute gestis parta detrahere audet. At dixerit forsitan quispiam, nationes Germanorum Cherusco foedere coniunctas crudelissima Marsorum clade nondum ex somno excitatas esse quaque fuerint et licentia et tarditate imperio Arminii aut iusto tardius aut omnino non obtemperasse. Profecto mira celeritate anno ante Bructeri, Usipetes, Tubantes audita caede Marsorum congregati erant. Nec quae sequuntur ulla aut licentiae

aut tarditatis vestigia ostendunt. Praeterea certe Suevi illi, de quibus Caesar tradit B. G. IV, 19. et VI, 10. tantam in nuntiis et dimittendis et accipiendis celeritatem, tantam summi consilii reverentiam, tantam et consultandi et agendi concordiam, tantam in iussis exsequendis agilitatem ostendunt, ut tardam licentemque patriae gentisque suae naturam omnino exuisse videantur.

Iam Germanicus, qui cum eadem aestate magnam expeditionem suscipere vellet, haud dubie sine ulla mora bellum parabat, ad distrahendum hostem tripartito exercitu progressus est ad Amisiam. Qua in expeditione repellenda quid Arminius perfecit? Nihil, si Tacito fidem habemus, nisi quod insidiis structis quasdam equitum Romanorum turmas cohortesque subsidiarias fudit, quas per breve spatium persecutus cum Romanorum legiones instructas vidisset, levem victoriam ex manibus dimisit (Ann. I, 63.). Post cum Caecinam per pontes longos redeuntem vehementer afflixisset, postremo ipse ita a Caecina afflictus est, ut vix fuga salutem invenerit (Ann. I, 68.). Profecto qui Ann. I, 63 – 68. ea, quae in consuetudinem vertit, credulitate legerit, vehementissima ira exardescet in Arminium, qui opportunissima delendi exercitus Romani occasione ex manibus dimissa, ab hoste laboribus et insomniis, fame sitique vehementer afflicto, suos somno ciboque recreatos numeroque multo superiores aut caedi aut fundi patitur.

Proximo denique anno quas res gessit Arminius?

Primum Chattos iam superiore anno a Romanis impune afflictos non tutatus est: nam C. Silius, cui, nisi subitis imbribus prohibitus esset, caede, rapinis, incendiis pariter atque Germanico anno ante saevire in populum licuisset, praeter modicam praedam etiam Arpi principis Chattorum uxorem filiamque rapuit. Deinde cum Germanicus ad liberandum obsidione castellum Luppiae flumini appositum sex legiones adduxisset, obsessores haud dubie Arminii summi ducis imperio illuc missi nullam Caesari copiam pugnae fecere ad famam adventus eius dilapsi. Qua in occasione audimus, tumulum nuper in honorem legionum Varianarum structum aramque olim Drusi memoriae dicatam a Germanis disiecta fuisse, Alisonem autem castellum aut non dirutum aut denuo exstructum a Romanis. Ergo in minutis illis rebus Arminius quique imperio eius obtemperabant, laureolam quaesisse — a rebus, quae et fortitudinem et constantiam requirerent, ignavi abstinuisse videntur. Postea cum Germanicus secunda navigatione ad Amisiam pervectus esset — cur Arminius non praesto fuerit ad vexandum hostem ingentes copias in terram exponentem intelligimus: at cur Angrivarios vicinos Cheruscorum terrae et infensos Romanis non convocarit, sed prodiderit quodammodo hostibus, qui populum desertum, cum arma contra Romanos parasset, igni ferroque domuerunt, frustra quaerimus. Paulo post ubi pontes Visurgi imposuit Germanicus, nihil cavit Arminius, qui multa negotia facessere poterat Germanico ingentes copias traiicienti. Denique in pugna ipsa non tanta Arminius utitur auctoritate, ut suos in saltibus abditos in illis insidiis continere potuerit. Qua Cheruscorum intemperantia Romani callide usi celerius victo-

riam reportant. Ingenti clade accepta non exspectat Arminius, dum nova auxilia adveniant, sed parvas relliquias suas, quasi ad internecionem, iterum in Romanos validissimos si non mittit, at certe invadere non prohibet novaque clade afficitur: nam quamquam Germani summa virtute pugnant, ipse Arminius iam „impromptus est ob continua pericula sive illum recens acceptum vulnus tardaverat."

Ecce res ab Arminio et ante expeditiones Germanici et adversus omnes illas expeditiones per tres annos gestae! Quas si ad veritatem descripsisset Tacitus, prorsus non appareret, qui in mentem ei venire potuisset, tantis laudibus Arminium efferre et Graecis pariter ac Romanis crimini vertere, quod tanti viri laudes non celebrassent annalibus.

At forsitan quispiam crediderit post illas expeditiones res ab Arminio praeclare gestas esse. Tacitus imprimis duarum rerum mentionem facit et belli adversus Maroboduum gesti et intemperantiae, qua Arminius abreptus et regnum sibi quaesierit et mortem invenerit.

Bello illo Arminius nec vincitur nec vincit. Sed aequo Marte cum discessum esset, Maroboduus ex inopinato recedit: Arminius sequi non audet. Non igitur magna erat gloria, quam Arminius sibi peperit. Quod autem postea regnum affectavit in populo, qui ne cladibus quidem tot tantisque commotus erat, ut Arminium summa potestate exueret, sane turpissimum facinus iudicabimus et nece illi illata vix satis punitum.

Nihil igitur in rebus ab Arminio etiam postero tempore usque ad necem gestis invenimus, quod praecipua quadam laude dignum iudicemus. Nihilominus revera Arminius praecipua illa laude erat dignissimus: testis est gravissimus Tacitus ipse: is enim alacri illo veritatis sensu, qui si non proprius est Taciti, at certe in nullo rerum Romanarum scriptore tam insignis apparet, vanam illam fidem, qua ductus et Germanici laudes in maius celebrarat et Arminii gloriam vehementer imminuerat, subito abiicit et honorificentissimam sententiam fert de Arminii et ingenio et virtute, ita ut quaecunque antea de proditione, de ostentatione, de temeritate cladibusque Arminii tradiderat, plane delere voluisse videatur: illustre profecto iustitiae exemplum, quo Tacitus suam non minus quam Arminii gloriam puram integramque conservavit.

I. Lehr.